
Theses philosophicae.

Numéro d'inventaire : 1980.00014.26

Auteur(s) : Joseph Joubert

Type de document : affiche

Éditeur : non renseigné (Tours)

Imprimeur : F.Vauquer-Lambert

Période de création : 1er quart 19e siècle

Date de création : 1813

Description : Une feuille de papier vergé et filigrané. La feuille est froissée sur les bords et le long des pliures. Coins cornés. Déchirures sur le bord droit. Texte imprimé dans un cadre de frise.

Mesures : hauteur : 524 mm ; largeur : 413 mm

Notes : Affiche annonçant les thèses de philosophie que doivent discuter neuf étudiants du séminaire de Tours, le 1er septembre 1813, peut-être en exercice public. Les articles traitent de la nature de l'âme, de la conscience morale, des principes de la morale naturelle, des miracles et des prophéties.

Mots-clés : Affiches de thèses et d'exercices publics

Filière : Université

Niveau : Supérieur

Autres descriptions : Langue : Français

Nombre de pages : 1



DEO OPT. MAX. THESES PHILOSOPHICÆ.

I.

SUPREMI Numinis existentiam, ubi firmis stabilivimus argumentis, notiora illius attributa rationis lumine delibavimus; ad ipsius imaginem considerandam ducit nos cognoscendi naturalis ordo. Mens nostra prorsus est simplex, omnique materie expert: informando corpori destinata, non prius à Deo creatur, quam suis organis satis sit instructum. Non est igitur, ut somniarunt nonnulli, divinæ substantiæ, aut animæ cujusdam mundanæ particula, nec è corporibus in corpora per Metempsychosim perpetuo migrat, nec tandem ex traduce oritur. Corporis regina, ipsi jungitur mens; hujus autem conjunctionis naturam, sicut cognoscere, ita explanare arduum: eam porro difficultatem non solvit influxus physicus, sapit enim materialismum, non harmonia præstabilita; unionem namque tollit nodum explicet; neque mediatoris plasticæ figmentum; ad quid enim inservit? At felicius per causas occasionales nobis videtur explicari hæc stupenda conjunctio.

Mens excusso corporis pondere, ac terrenis soluta vinculis, superstes manet; illam enim immortalem esse, alteramque futuram esse vitam, divina postulant attributa. Conscia propriæ dignitatis anima, felicitatem appetit; ad beatitudinem enim natus est homo: hanc verò in se vel in bonis creatis incassum quaerere, utpote quæ in Deo solo consistat. Hæc beatitudo solis rependenda justis, in æternum uti suadet ratio, perdurabit; æternas pariter fore impiorum poenæ. Quam diversa utriusque conditio! Sunt enim istæ aut mera automata, ut nonnulli volunt; vel animæ donantur sensitivâ, ut placet aliis, sed quæ ab humanâ mente penitus discrepat. Beatitudo quæ hominem manet, pretium est bonorum operum; magni proinde ipsius refert actus suos ad justitiæ normam componere, quod ut assequatur amicam opem præstabit.

II.

MORALIS sive scientia practica actus humanos ad veritatem dirigit. Actuum verò humanorum principia hæc sunt: voluntas, libertas, conscientia et lex. Voluntas est ea animæ facultas quæ bonum ab intellectu propositum sectatur aut malum aversatur: in actibus elicitis cogi nequit. Metus gravis, quo stante, manet homo sui compos, voluntarium non tollit omnino, sed minuit; non excusat igitur à peccato. Idem dixeris de ignorantia vincibili; non requiritur idcirco ad verè proprièque peccandum, ut quod agimus malum esse advertamus, vel actu suspicemur, vel de Deo cogitemus; ignorantia autem invincibilis voluntarium tollit, idcirco eximit à peccato. In præsentis naturæ lapsæ statu, licet homo vires ad bonum aut malum aequales non habeat, verâ tamen gaudet libertate; nec in hujusmodi æquilibrio consistit essentia liberi arbitrii; imò nec peccandi potentia, quamvis homini, quamdiu in terris peregrinatur, competat, ad libertatis essentiam pertinet; in potestate verò activâ agendi vel non agendi benè reponitur. Conscientia est intimum animi iudicium de actionis cujuslibet bonitate aut pravitate pronuntians; iudicis et testis munere fungitur. Contra eam agere, semper illicitum; illam sequi, quandoquæ malum. Si dubia sit, ab actu abstinere quando nulla urgeat agendi necessitas; quæ si adfuerit, partem eligas tutiorem. Non licet proinde sequi opinionem minus probabilem quæ libertati favet, in concursu alterius probabilioris quæ stat pro lege: pariter ubi sunt aequè probabiles eam sequi non licet, quæ libertati favet; si tamen opinio minus tuta multò foret probabilior, liceret eam sequi. Lex generatim spectata est agen-

dorum, vel omittendorum regula. Omnium in mentibus à Deo insitum est lumen quoddam legis æternæ participatio et ipsius promulgatio, quæ lex naturalis nuncupatur; quod ex se bonum, præcipit, quod ex naturâ suâ malum, vetat. Hæc lex ita strictè obligat, ut nec mutationem, nec dispensationem ullam patiatur: mentibus nostris sic indivisè inhaeret, ut circa illius primaria præcepta et conclusiones ex iis proximè derivatas, nulla detur invincibilis ignorantia; at verò ignorantia invincibilis subjacere possunt conclusiones illius remotiores.

III.

OFFICIORUM nostrorum fons est lex naturæ: quid Deo, quid nobis, quid cæteris hominibus debeamus dilucidè tradit. Per eam edocemur ad Deum tanquam finem ultimum referendas esse omnes actiones nostras deliberatas; ipsi rependendum esse cultum sive internum, sive externum. Dicitur etiam mentem nostram cognitionibus homine dignissimis exornandam; contra præjudicatas opiniones præmuniendam; omnes affectus ex naturâ suâ prave et inordinatos reprimendos esse, et fugienda esse quæcumque illos aut fovere aut excitare possunt. Clamat etiam suicidium nunquam evadere licitum; illicita esse singularia certamina quæ duella vocantur. Erga cæteros homines docet quemque teneri eos sicut seipsum diligere; proinde diligendos esse etiam inimicos, nulli damnum inferendum esse, imò pro modulo nostro esse subveniendum proximo indigenti. Laborant igitur errore turpi qui contendunt homines sibi invicem esse naturaliter infensos, nec ad societatem à naturâ comparatos. Sed nisi coercerentur hominum cupiditates brevi decideret societas; idcirco instituti principes quorum suprema auctoritas dimanat à Deo. Hi potestate gaudent leges condendi quæ conscientiam obligent; debet igitur quisque patriæ legibus obtemperare; ubi opus est, suis bonis eam adjuvare; suas animi et corporis dotes in illius utilitatem impendere, imò vitam ipsam, si necesse sit, pro ipsâ effundere.

IV.

RATIONIS sibi derelictæ debilitatem et insufficientiam legis naturalis in aperto ponunt retrò-antiquitatis errores. Summopere igitur revelatione indigebat genus humanum ad cognoscenda plurima legis naturalis officia. Illius possibilitatem inficiari; insanum. Ne autem in facto revelationis erremus, duplex nobis præstò est sigillum, miraculum et prophetia. Prius est opus derogans naturæ legibus. Fieri posse hanc derogationem, et miraculum arguere veritatem doctrinæ in cuius gratiam editur, quis negabit? Prophetia propriè dicta, est certa et infallibilis predictio eventus liberi et contingentis. Hæc predictio intelligentiæ cujuslibet creatæ vim superat, solique Deo competit. His duobus sigillis stipata incedit Religio christiana; innumera enim sive Christi, sive Apostolorum, miracula sibi vindicat; prophetias etiam splendidas Christum ipsum et exidum urbis Hierosolymitanæ respicientes advocat in sui confirmationem. Factorum illorum veritatem impugnare ne audeas: continentur enim in libris qui verè sunt autentici et ad nos usque illibati saltem quoad substantiam pervenerunt. Ejusdem Religionis divinitatem evincit mirabilis et indubitata Christi resurrectio; invicta Martyrum constantia et numerus; illius stupenda, portentosaque propagatio, etiam coadunatis omnium viribus impugnata. Immortales igitur Deo grates rependamus quod singulari ejus beneficio in Christianæ Religionis gremio nati fuerimus et instituti; sed ex animo nunquam excidat Apostolica hæc sententia: *Estote factores verbi et non auditores tantum, fallentes vosmetipsos...* (Jacob cap. 1, v. 22.)

Hæc Theses Deo duce, et auspice Dei - præ tueri conabuntur, in ædibus Seminarii Turonensis, die primâ Septembris.

Josephus JOUBERT, Turonicus,
Joannes BENOIT, Ambasiensis,
Petrus LIVONET, à Parochiâ Loché,
Petrus DERRÉ, à Parochiâ Villiers-au-Bois,
Urbanus - Antonius CHANTEREAU, à Parochiâ Savigné,

Renatus CHESNEAU, à Castello - Reginaldi,
Renatus - Dominicus MAURICE, *lum*,
Joannes BULOT, loci vulgò Cormery,
Josephus JEUFFRAIN, Turonicus.

TURONIBUS, apud F. VAUQUER - AMBERT, Urbis Typographum, 1813.